

Veruntamen hac in re, et in caeteris quæ ad Regularium electionem pertinent, speciales Constitutiones, consuetudines et privilegia singulorum Ordinum servanda sunt.

Abbatibus qui Episcopis honore proximi, et quorundam Episcopaliū munerum participes sunt, consecrationis loco benedictio tribuitur, quæ ab aliquibus minus proprie consecratio appellatur. Nam Benedictio Abbatum characterem Ordinis non imprimit, et ferme in eo tantum consecrationem sequitur, quod iteranda non sit, etiamsi Abbas ad alterius Monasterii regimen eligatur. Abbates Regulares perpetui ex Constit. Benedicti XIII quæ incipit *COMMISSI NOBIS* infra annum ab electionis die benedictionem juxta ritum in Pontificali Romano præscriptam suscipere debent, nec interea Pontificalibus indumentis, nec ipsorum usu potiuntur, quandoquidem ex can. 14 Concilii Nicaeni II, et Ordo Presbyteratus et Benedictio Episcopalis in Abbate postulantur, ut minores Ordines conferre possit. Huic tamen Canonis peculiaribus privilegiis interdum derogatur, quod observat Benedictus XIV de Synodo Dioeceses. lib. 2 cap. 11 n. 9. Abbates exempti aut in Curia Romana benedicuntur, aut etiam alibi ex Summi Pontificis mandato: non exempti autem ab Episcopo, in cujus Dioecesi Monasterium positum est, benedicuntur. Quænam autem sit Abbatum potestas in usu Pontificalium, in collatione minorum Ordinum, in regimine et administratione spirituali et temporali, late disserit Barthel Opuscul. jurid. tom. II. Opus 5.

Abbatissæ quoque nonnullorum Monasteriorum benedici solent per sacram caeremoniam, in qua Episcopus orat ut Abbatissa electa Monialibus sibi creditis pie sancteque invigilet. Si Abbatissæ benedici solitæ infra annum a die confirmationis suæ benedictionem petere negligent, excidunt omni jure quod consequutæ fuerant, Clement. 2^a de Statu Monac. et Canonic. Regul. Sed Abbatissæ in Moniales et Clericos Monasterio addictos nulla est jurisdictio spiritualis, ad

quam accipiendam foeminae non sunt idoneæ: tantummodo quidquam vetare possunt aut jubere, monere et corrigere, quod passim tradunt Interpretes ad caput *DILECTA* de Majorit. et Obedient.

Nihil hoc loco dicimus de electione ad Dignitates et reliqua officia Canonicalia, quod ex communi sententia Doctorum necesse non est, ut forma electionis proprie dictæ in iis conferendis observetur, et idcirco suffragia palam et aperte ferri possunt et accessu compleri, neque ulla confirmatione opus est. Sufficit enim ut Capitulum collegialiter congregatum, aut major totius Capituli pars in personam idoneam consentiat.

CAPUT VI.

DE SACRIS ORDINATIONIBUS.

§ 42.

DE ORDINATIONE CLERICORUM.

Sed jam videndum est, quemadmodum potestas Ordinis per Sacram Ordinationem conferatur. Ordo latine significat aptam rerum dispositionem, aut gradum quemdam personarum seu dignitatem, unde persona distat a persona, uti Ordo Senatorius, quo Senatores a reliqua plebe distinguebantur. Hac ratione in Ecclesia Ordo Clericalis est gradus quidam personarum, quæ ad sacra obeunda mysteria addictæ eaque de causa a Laicis distinctæ sunt. Quia vero cuique Clerico diversus ordo sive diversa potestas data est, ut alii aliis præstantiores sint, sic pro varietate ordinum, sive potestatis varii sunt etiam gradus Clericorum. Igitur sacra potestas singulorum graduum propria ordo dicitur, modus, autem quo potestas tribuitur, sacra ordinatio vocatur, et idcirco quemad-

modum effectus a causa, ita ordo ab Ordinatione derivatur.

Quibus positis sacra ordinatio definiri solet, sacer ritus per quem aliquis ex laico fit Clericus, aut ex inferiori ordine Clericatus ad altiorem ordinem promovetur. Ordo autem est « sacramentum novae legis a Salvatore nostro institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi ac ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non Sacerdotio ex officio inserviendi, » quae definito ex Tridentinis Patribus sess. 23 cap. 1 et 2 sumpta est. An vero diversi Ordines et majores, et minores per quos veluti per gradus quosdam ad Sacerdotium tenditur, singuli sacramenta sint, an soli majores Ordines veri Ordinis Sacramenta dici queant, non autem Ordines qui sunt Diaconatu inferiores, controversia est, quae ad Theologos omnino pertinet. Nostrum est de Sacris Ordinationibus disciplinam Ecclesiae dilucide explanare, idque efficere conabimur distinctis paragraphis qui sequuntur.

§ 43.

DE LEGITIMO ORDINATIONIS MINISTRO.

Soli Episcopi jure divino ordinarii sunt Sacrae Ordinationis Ministri. Hanc perpetuam Catholicae Ecclesiae doctrinam firmavit Tridentina Synodus sess. 23 cap. 7 : « Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit. » Sed in vim privilegii Romanae Sedis simplex Sacerdos potest minorum Ordinum Minister extraordinarius esse. Hinc Cardinales Presbyteratus Ordine insigniti in Ecclesiis suorum titularum, et Abbates Sacerdotes solemniter benedicti suis subditis regularibus primam tonsuram et minores ordines conferunt.

Episcopi vero, etiam haeretici aut schismatici, degradati, aut quocumque scelere inquinati, vel censura irretiti valide

Ordines administrant, modo debita forma et materia utantur, et intentionem habeant faciendi quod facit Ecclesia; quia character Episcopalis seu potestas in Ordinatione semel accepta nec deleri potest, nec amitti. Eorum autem Ordinationes sunt illicitae et sacrilegae. Generatim vero Ordines non licite conferuntur nisi ab Episcopo proprio, scilicet ab eo cui ordinandus subjectus est. Salutaris haec disciplina jam ab initio Ecclesiae viguit, et in Conciliorum Canonibus adeo severe proposita et confirmata est, ut Ordinationes alieni subditi irritae pronuntiatas sint, hoc nimirum sensu, quatenus ab Episcopo non suo ordinati susceptorum Ordinum munera explere omnino vetarentur. Ita Concilium Nicaenum I sancivit can. 17 : « Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet, in sua Ecclesia ordinare, quum non habeat consensum Episcopi ipsius a quo recessit Clericus, irrita (hoc est illicita) erit hujusmodi ordinatio. » Et Concilium Sardicense can. 15 : « Si quis Episcopus ex aliena Parochia velit alienum ministrum sine consensu proprii Episcopi in aliquo gradu constituere, irrita et infirma hujusmodi constitutio existimetur. » Haec autem ecclesiastica disciplina aliquibus Canonistis visa est solos Clericos respexisse, non etiam laicos : atque adeo putant ea aetate laicos a quocumque Episcopo ordinari potuisse. Huc referunt Origenis, Hieronymi, Augustini, aliorumque illustrium Virorum exempla, qui adhuc laici inconsultis propriis Episcopis ordinati sunt. Nulla itaque ratio habebatur originis et domicilii, et proprius ordinationis Episcopus evadere, qui aliquem primum ad ordines promovisset. Sed huic sententiae difficultatem creare videtur can. 5. Concilii Carthaginensis I quo Episcopi vetantur non modo Clericum, verum etiam laicum alterius Dioecesis sine consensu Episcopi ordinare : « Non debere Clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris Episcopi sui, nec apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi de cujus plebe est. » Quamobrem cum Epigonius,

Bullensis Episcopus, in Concilio Carthaginensi III conquisitus esset, quod Julianus Episcopus Clericum sibi eripuisset, et Diaconum ordinasset, quem ipse Epigonius in sua Ecclesia baptizaverat, quem multis annis aluerat, et Lectorem ordinaverat, cum Concilii Patres judicassent id a Juliano inique factum atque indigne, hinc triplex titulus olim fuisse videtur, quo proprius Episcopus censeretur, nempe titulus baptismi seu nativitatis spiritualis, titulus diutinae habitationis, et titulus ordinationis.

Verum quisque fuerit veteris disciplinae titulus, quo aliquis Episcopus proprius haberetur, certum est Bonifacium VIII generalem regulam edixisse, qua sancivit proprium ad ordines conferendos Episcopum eum fore qui ordinandi Episcopus sit ratione originis, aut beneficii, aut domicilii. « Cum, ut ait Cap. 3 de temp. Ordinat. in 6°, nullus Clericum parochiae alienae praeter Superioris ipsius licentiam debeat ordinare; Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus Dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem. » Cui triplici titulo ex Bulla Innocentii XII SPECULATORES accessit titulus familiaritatis, atque adeo proprius ordinationis Episcopus nunc est, cui Ordinandus subest ratione originis, aut domicilii, aut beneficii, aut familiaritatis.

Hic vero monendum est, Praelatos saeculares nulla ordinandi potestate praeditos esse, sed suorum subditorum ordinationes pertinere ad Episcopos in quorum Dioecesi eorum territorium continetur; si autem sint vere nullius, et territorium separatum habeant, ordinatio ad Episcopum viciniorem spectat, ad quem subditos suos cum litteris non dimissoriis, sed testimonialibus mittere debent; nisi ex privilegio Apostolico post Tridentinam Synodum obtento, jus concedendi dimissorias consequuti sint. Qua de re confer Benedictum XIV De Synod. Dioeces. lib. 2 cap. 11 n. 15 et 16.

§ 44.

DE EPISCOPO PROPRIO RATIONE ORIGINIS.

Primo itaque Episcopus ratione originis is esse intelligitur, in cujus Dioecesi aliquis oriundus est. Oriundum enim Bonifacius dixit, non natum, adeoque si quis fortuito in aliquo loco natus sit, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cujusvis alterius temporalis morae, seu permanentiae duorum parentum, tum quidem non ejusmodi fortuita nativitas, sed Patris origo spectanda est. Si quis autem in eo loco ubi fortuito natus est, tanto tempore moram traxerit, ut ibidem potuerit canonico impedimento irretiri, tunc etiam ab ejus loci Ordinario obtinere litteras testimoniales debet, quibus ab omni canonico impedimento ibidem contracto declaretur immunis, easque Episcopo ordinanti exhibere, ut in actis Curiae suae conservari jubeat, earumque mentionem faciat in collatorum Ordinum testimonio. Quod si pater in eo loco in quo fortuito natus est filius, tamdiu eoque animo permanserit, ut ibidem vere domicilium de jure contraxerit, tunc non patris origo, sed contractum ab eo domicilium pro filii ordinatione attendi debet. Haec de filiis legitimis. At vero si de filiis illegitimis sermo sit, et super defectu natalium dispensationem obtinuerint, non amplius paternae, sed maternae originis locus attendendus est, etiamsi de patre certo constet, quia illegitimi conditionem matris sequuntur, et ab ipsa certius procedunt. Expositorum autem, quorum scilicet parentes et locus originis ignorantur, habendus est « originis Episcopus in cujus Dioecesi situm est hospitale in quo alendi et educandi expositi sunt. » Derelicti vero qui parentum nomen et patriam semper ignorarunt, quod hi mortui sint peregrinando vel militando, originarii videntur esse Episcopi ejus loci, in quo domicilium primo contraxerunt: quod si nullibi domi-

cilium elegerint, recurrendum erit ad S. Congregationem Concilii pro designatione Episcopi, itemque, quotiescumque de proprio Ordinationis Episcopo aliquod dubium emerit, faciendum est. Haec autem omnia confirmantur decreto S^{ae} Congregationis Concilii die 15 Februarii anno 1704, nam consulta « quod si filius sit illegitimus, vel expositus, vel infidelis baptizatus » respondit: « Si I^{um} attenditur origo matris, si II^{um} locus in quo fuit expositus, si III^{um} locus in quo baptisma suscepit. »

Tandem Neophyti, recens nimirum ad fidem conversi, sive ex gentilibus, sive ex judaeis nati sint, originarii sunt loci in quo Sacro Baptismate regenerantur, ex Constit. CUPIENTES Pauli III 21 Martii 1542.

§ 45.

DE EPISCOPO PROPRIO RATIONE DOMICILII.

Episcopus proprius ratione domicilii is est, in cujus Dioecesi Ordinandus domicilium habet, quamvis in alia Dioecesi natus sit. Verum domicilii ratio ex diuturna inhabitatione, et ex animo permanendi desumitur. Itaque ex Constitutione SPECULATORES Innocentii XII postulatur, ut ordinandus « vel per decennium saltem in ea Dioecesi habitando, vel majorem rerum ac honorum suorum partem cum instructis aedibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius se in utroque casu vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Hinc ab animo potius et conjecturis, quam ab annorum diuturnitate domicilium existimatur. Si quis enim per decennium non animo manendi, sed ex alia causa in aliquo loco moratus sit, domicilium contractum non intelligitur: contra vero si quis lares et fortu-

nas in aliquo loco constituit animo ibidem perpetuo manendi, etiam sine mora decennii domicilium contraxisse putandus est. Quare cum animus permanendi esse nequeat in iis, qui duntaxat studiorum aut negotiorum causa alicubi morantur, nullum ibi domicilium acquirunt, nec possunt ab Episcopo illius loci ordinari. Qui autem domicilium contraxit, si a propriae originis loco in ea aetate discesserit, ut canonico alicui impedimento obnoxius effici potuerit, testimoniales quoque Ordinarii suae originis litteras Episcopo domicilii exhibere debet, qui mox earum mentionem faciat in collatorum Ordinum attestatione, quod expressis verbis constituit Innocentius XII citata Constitutione.

Quod si quis diversa domicilia habeat, ex decreto ejusdem S^{ae} Congregationis Concilii poterit ab alterutro Episcopo ordinari; quia utriusque subditus est ratione domicilii, modo in iis aequaliter, licet non mathematice habitet. »

§ 46.

DE EPISCOPO PROPRIO RATIONE BENEFICII.

Episcopus proprius ratione beneficii est Episcopus illius Dioecesis, in qua Clericus Beneficium jam habet et pacifice possidet per se, et sine adjectione alicujus patrimonii aut supplementi ad congruam vitae tuitionem aptum atque sufficiens. Hujusmodi vero sufficientia ex Constit. IN SUPREMO Benedicti XIII, si beneficium continuam residentiam postulet, aestimanda est ex taxa Synodali, vel more vigente in eo loco ubi beneficium situm est; sin autem beneficium residentiale non fuerit, sufficientia praefinienda est ex taxa, aut more vigente in loco ubi beneficiatus domicilium habet. Nomine itaque beneficii venit quodvis sive simplex, sive liberae collationis, sive juris patronatus; non vero beneficia improprie dicta, pensiones nempe, licet perpetuae, et ecclesiasticae, neque Cappellanae

manuales, sive ad nutum amovibiles, sive perpetuae, neque mera officia, licet ecclesiastica, neque Commendae aut Coadjutoriae temporariae; sed Commenda perpetua, si non nomen beneficii, at certe naturam habet dum plenam ecclesiastici beneficii administrationem afferat, veroque titulari Commendatarium aequet, idcirco satis esse videtur ut Commendatarius addicatur Episcopo in cujus Dioecesi Commenda posita est, ab eoque possit ordinibus initiari. Quod autem attinet ad Coadjutorias perpetuas seu cum futura successione, Coadjutor vivente quoque Coadjuto ab Episcopo Dioecesis, ubi titulus Coadjutoriae exstat, ad ordines rite promovetur aut ratione beneficii ecclesiastici, aut saltem ratione domicilii, quod in residentia Coadjutoriae collocatum esse praesumitur. Quamobrem S. Congregatio Concilii in Tarraconens. Ordinatio diei 1 Julii 1744 respondit: « Coadjutoriam Canonicatus vel Dignitatis sufficere, ut Coadjutor dicatur habere domicilium requisitum in Constitutione Innocentii XII incipient. *SPECULATORES.* » Quoniam vero nisi Clericis saltem tonsuratis beneficium ecclesiasticum conferri nequit, illud plane consequitur, quod nemo possit, etsi a patronis praesentatus aut statim beneficio providendus, nisi a proprio originis aut domicilii Episcopo clericali tonsura initiari. Praeterea Clericus ab Episcopo proprio jam tonsura aut ordinibus initiatus, ad superiores Ordines ab alio Episcopo ratione beneficii promovendus non est sine testimonialibus litteris Episcopi proprii et originis et domicilii, easque Episcopo ordinanti exhibere debet, qui tum earumdem litterarum, tum collati beneficii ejusque redituum in collatorum Ordinum testimonio expresse meminisse jubetur.

Ex quibus omnibus colliges, tria postulari antequam Episcopus ordines conferat ratione beneficii, scilicet pacificam beneficii possessionem, praescriptam redituum quantitatem, et Clericatum.

§ 47.

DE EPISCOPO PROPRIO RATIONE FAMILIARITATIS.

Denique Episcopus fit proprius ratione familiaritatis intuitu illius, quem trium annorum spatio secum habuerit familiarem, et suis sumptibus aluerit. Qua super re Tridentina Synodus sess. 23 cap. 9 de Reform. ita constituit: « Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum commoratus fuerit, et Beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat. » Mentem Tridentinorum Patrum explicavit Innocentius XII in Constitutione saepius citata, in qua edixit: 1. Tridentini decretum in majorum aut minorum Ordinum, tum etiam in collatione primae tonsurae locum obtinere. 2. Opus esse ut triennium sit integrum et completum. 3. Tum primam tonsuram, tum ordines impertiendos non esse sine litteris testimonialibus Episcopi proprii sive originis, sive domicilii. 4. Beneficium intra terminum unius mensis a die factae ordinationis conferendum, quod Clerico ad honestum cultum et alimenta suppetat. 5. In Ordinationis testimonio de litteris testimonialibus Episcopi proprii, deque familiaritate expressam mentionem faciendam.

Eundem Tridentini decretum, multis exortis dubitationibus, Congregatio ejusdem Concilii interpretata est, antequam Constitutio Innocentii XII in lucem ederetur. Sed plures hujusmodi declarationes per dictam Constitutionem antiquatae sunt. Ita declarationem ab se editam, quod Tridentini lex de beneficio conferendo tum tantum vigeret, cum Episcopus familiarem suum sacris Ordinibus inauguraret sine ulla Ecclesiae suae necessitate aut utilitate, eadem Congregatio rescidit contraria declaratione in Tricaricen. 27 Julii 1697 in qua proposito dubio: « An stante novissima Constitutione Inno-

centii XII possit Episcopus familiarem triennem ad titulum patrimonii promovere ad Sacros Ordines ob necessitatem aut utilitatem Ecclesiae nullo collato beneficio, » respondit « Negative. »

Ita Episcopus nequit familiari suo super defectu natalium, vel interstitiis dispensationem largiri ut eum ad recipiendam primam tonsuram aut minores ordines aptum reddat; propterea quod Episcopus erga suum familiarem auctus est privilegio conferendi ordines, non dispensandi: privilegia vero tanti valent, quantum verba sonant. Sed Episcopus titularis ne privilegio quidem donatur familiarem suum ad ordines promovendi, quod apertis verbis sancitum est a Concilio Trident. sess. 14 cap. 2 de Reform.

§ 48.

DE EPISCOPO PROPRIO REGULARIUM.

Proprius ordinandorum Regularium Episcopus est, in cujus Dioecesi Monasterium aut domus religiosa constructa est. Sed ob oculos in primis habenda sunt, quae Clemens VIII in suo Decreto per Congregationem Concilii die 15 Martii 1596 edito, et Benedictus XIV in sua Constitut. Impositi sub die 27 Februarii 1746 decreverunt, quorum omnium summa est. 1. Praelati Regulares subditis suis Regularibus qui ordines suscipere cupiant et requisitis dotibus praediti sint, litteras dimissoriales ad Episcopum Dioecesanum ejus nempe loci in quo Monasterium existit, non vero ad Episcopum alium concedere debent. 2. Si Episcopus Dioecesanus absuerit, aut ordinationes proximo legitimo tempore non sit habiturus. Praelatis Regularibus integrum est litteras dimissoriales ad quemcumque Episcopum dare, ut ab eo Regularis Subditus ordines suscipere possit. 3. In eisdem dimissoriis inseri debet authenticum testimonium Vicarii Generalis, vel Cancellarii,

§ XLIX. DE LITTERIS DIMISSORIIS.

aut Secretarii ipsius Episcopi Dioecesani, ex quo plane constet eundem Episcopum vel a Dioecesi abesse, vel proximo legitimo tempore Sacras Ordinationes habiturum non esse. 4. Regularis, quod ad doctrinam attinet, diligenti examine probandus est ab Episcopo qui ordines contulerit. 5. Qui secus egerint, multis canonicis poenis ipso facto afficiuntur. 6. Denique privilegia Regularium ordines a quocumque Episcopo suscipiendi nullius roboris et momenti sunt, nisi post Tridentinam Synodum directe et nominatim, non vero per communicationem concessa sint, vel in forma specifica cum litterali veteris Indulti insertionem, ejusque expressa innovatione fuerint restituta et confirmata.

Num vero Regulares omnes privilegio fruuntur, quod dicitur *extra tempora*, hoc est num ordinari possint extra tempora a jure statuta etiam post praedictam Constitutionem Benedicti XIV, aliqui Doctores disputant, de quo confer Ubaldu Giraldu in Expositione Juris Pontificii edit. romana 1769 part. II sess. 95, ubi eorum sententiam sequitur qui hac in re Regularibus favent.

§ 49.

DE LITTERIS DIMISSORIIS.

Si Episcopus proprius Saecularium Sacras Ordinationes habiturus non sit, tum jure suo poterit sibi subditos ad alium Episcopum ordinandos dimittere litteris datis, quae idcirco *dimissoriae* dicuntur. Itaque litterae dimissoriae sunt delegatio facultatis conferendi Ordines, atque ideo ipsarum concessio potius ad jurisdictionem Episcopalem, quam ad Ordinis potestatem pertinet. Tridentina Synodus edicit, ut proprii Episcopi qui ex juxta causa ordinationem non habeant « subditos suos non aliter quam jam probatos et examinatos ad alium Episcopum ordinando, dimittant. » Igitur necessarium est,